

Restat, vt consuetudini apud nos receptae aliquid largiar, cūsumque vitae illius, in cuius gratiam litteras has typis exscribendas curauimus, breuiter exponam. Prognatus est noster anno h. f. VII. in agro Hermannsdorp, parentibus Caspare Henrico Glasewaldo Jcto, cui etiam in pagis clientelae Illust. Comitis de Flemming addictis dicendo praefectus erat, & Maria Elisabetha, nata Kromlovvskiana, adhuc superstite, qui eundem, quum ex ephebis excessisset, aurifabrorum arti destinauerant, in qua per annum tyrocinia posuit. Pater quem consilii huius postea poenituit, filium, litteris addiscendis de nouo dicatum, scholae Illustri Misnenensi commisit, in qua per sexennium regis sumtibus sustentatus humanitatisque studia edoctus est. Cui publica oratione vale dicto, Wittebergam noster migravit, nomenque suum apud D. Haferungium professor, Schroeterum, Weidlerum, Hollmannum, Schlofferum, philosophica praecepta tradentes, Wernsdorffium, Schroeerum, Zeibichium sacras litteras exponentes per quinque annos audiuit, stipendiis regio electorali & Busreutensi suffultus. Anno XXXIII. acceptis a b. Krausio Philosophiae Magistri honoribus ex alma illa ad D. Thimium, sacrorum Belzigii Antistitem profectus est, cuius proli erudiendae suam per biennium addixit operam. Reuocatus vero a patre Dresdam studiorum suorum rationem, ad publicum examen admissus, reddidit, et non ita multo post collegii nostri membrum esse coepit. Quanquam vero anno XXXV. fato defunctus esset pater, gratia tamen, qua ille vnus apud Illust. Comitem de Flemmign multum yaluit, filio etiam post patris obitum profuit, vnde factum est, vt ab eodem muneri sacro, quo M. Moekelius apud Wilsdorfenses functus est, aliorum euocatus, nunc ex voto sit praefectus.



*Coll. des. A. 66, mit. M.*

